



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

137. An Prælati Regularis possit excommunicare Novitium? Ex p. 9. tr. 8.  
Misc. 3. r. 60. aliàs 59.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)



# De Dubiis Regular. Ref. CXXXVI. &c. 93

los Frayles de la Provincia, o Convento, para que no hagan tal cosa.) sin escrito, incurre en la pena de suspension, como los demas, que no ay para esso privilegio. ] Sic ille, & ego.

## RESOL. CXXXVI.

*An Praelati Regulares teneantur in excommunicationibus praeferre trinam monitionem? Ex p. 5. tr. 9. Refol. 20.*

§. 1. Respondet affirmatiue cum multis Doctores Avila de cens. part. 2. c. 5. disp. 1. dub. 8. & quamvis Praelati Mendicantium habeant privilegium, vt possint ferre sententiam excommunicationis solo verbo sine scriptis, vt habetur in compendio minorum, verb. excommunicatio, Paraphr. 7. non tamen habent privilegium ad omittendam Canonice monitionem.

2. Verum hanc doctrinam limitat Cornejo in 3. part. tractat. 5. de cens. in genere. disputat. 5. dub. 2. & Sayrus de cens. lib. 1. cap. 12. numero 12. vt intelligatur quando Praelati Regulares praecipunt aliquid, quod non continetur in regula Ordinis, aut in regularibus obseruantis; secus vero quando id, quod praecipitur in illis continetur: quia tunc optime, inquit, possent vna, vel altera tantum monitione excommunicare. Sed melius videtur dicendum, attendendam esse consuetudinem talis Religionis, & si legitime fuerit praescripta, praeualebit contra ius, sin autem minime.

## RESOL. CXXXVII.

*An Praelati Regulares possint excommunicare Nouitium? Ex part. 9. tract. 8. & Miscellan. 3. Refol. 60. alias 59.*

§. 1. Negatiue respondet Reuerendissimus Magister Sacri Palatii Vincentius Candidus, tom. 1. di. quis. 24. artic. 58. dub. 3. quia excommunicatio secundum veritatem sententiam non potest fieri ob delictum praeteritum, sed ob delictum futurum ratione contumaciae non obediendi, sed Praelatus non potest suo praeecepto adiuncta; quia non plene Nouitij Superioribus, & Regulae subiiciuntur, nec sunt verae partes Communitatis, nec si admitti in corpus Religionis tanquam membra illius, donec professionem emiserint: ergo. Potest tamen Praelatus, si aliquam poenam ratione delicti commissi Nouitio imponeret, sub poena excommunicationis lata sententia eidem praecipere, vt poenam illam subiret; quia ad eam poenam imponendam in foro exteriori habet iurisdictionem; ergo poterit quoque sub excommunicatione eidem praecipere illius obseruantiam. Haec Candidus citans Henric.

2. Sed aduersus illam affirmatiuam sententiam tenet Pater Bordonus in consil. Regular. tom. 2. Refol. 54. numero 133. nam (ait ipse) si potest secundum Candidum, cogere transgressorem ad subeundam poenam sub censura excommunicationis; quare non potest illum excommunicare ratione contumaciae; quia exempli gratia, non vult obedire tali ordinationi sibi factae sub poena excommunicationis, vt si illi praecipiat sub poena excommunicationis, ne colloquatur cum tali persona; vel adfit ordinatio, ne quis Religiosus etiam Nouitus extra reuelet tale secretum multum prauiudiciale statui Re-

ligioso. Neque obstat quod quis ob delictum praeteritum excommunicari non possit, quin possit excommunicari ob delictum in futurum, si illud committat, ratione inobedientiae; in illo siquidem sensu neque Professus excommunicari potest; quia nullus excommunicari potest, nisi pro contumacia, Gloss. ver. Moris, cap. nemo 39. 11. questione 3. per iura ibi allegata; excommunicatio enim fertur, vt quis retrahatur a peccato, cap. nouit. de Ind. est enim medicina anime, cap. cum medicinalis, de sentent. excommunicat. in 6. ergo ordinari debet ad futurum peccatum praecauendum, & non ad praeteritum iam commissum, cui ideo non debetur poena spiritualis sed corporalis. Nec viget, quod Nouitius non sit verus Religiosus, neque membrum perfectum, & incorporatum Religioni, sicut Professus; quia haec probant solum Nouitium non esse subiectum praeeptis Regularibus, sub ratione voti quod nondum emisit, ex quibus tamen non inferitur, quin sit vere subditus Praelato regulari, vt suo Iudici, & Superiori volenti illum coercere, & punire, sicut castigat Professos, & quoscunque alios commensales ratione domicilij contacti & delicti. Haec omnia Bordonus.

3. Sed sententiam amicissimi Magistri Candidi approbat Sanchez in Summa, tom. 2. libro 6. capite 10. numero 17. quam tamen in duobus casibus limitat. Prior est, quem posuit ipsemet Candidus, quando poenam aliquam delicti Nouitio imponeret; tunc enim posset sub poena lata excommunicationis praecipere Nouitio, vt poenam illam subiret; quia potest obligare ad poenam ratione iurisdictionis, quam in foro externo ad eam imponendam habet. Ergo potest quoque sub excommunicatione praecipere illius obseruantiam. Posterior casus est, quando Pontifex Constitutione, aut praeecepto aliquo interdiceret aliquid sub poena excommunicationis: si enim Nouitij id praeeptum violarent, posset Superior Religionis eos punire, fulminando sententiam illam excommunicationis a Pontifice comminatum transgressoribus; quia ea poena est condigna delicto. Sicut posset quoque infligere quamcumque aliam poenam a Pontifice statutam in transgressores, quia dum Nouitij manere volunt in Religione, est legitimus Iudex ad imponendas poenas eorum delictis condignas. Et hanc sententiam praeter Sanchez tenet etiam nouissime Pater Pellizzarius in Manual. Regular. tom. 1. tractat. 2. cap. 6. num. 16. & 17.

## RESOL. CXXXVIII.

*An Religiosus possit communicare cum Praelato excommunicato?*

*Et in casu, quod Praelatus sit excommunicatus, stramen non est denunciatus, nec publicus Clericus percussor, an teneatur Regularis subditus illi obedire? Idem est de Episcopo excommunicato non denunciato. Ex p. 5. tr. 9. Ref. 127.*

§. 1. Affermat Sotus in 4. dist. 22. quest. 1. artic. 4. conclus. 5. Sed sane nullum est privilegium communicandi, saltem in omnibus, nam excommunicatio virtute continet suspensionem. Quare non toleratus, nec officium Praelaturae, nec iurisdictionem exercet, unde tantum videtur cum isto concessa communicatio ea, quae ratione habitationis vitari modo morali non potest, perinde scilicet ac si esset quivis alius ex eadem familia sic excommunicatus. Caterum si iste excommunicatus est